



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XLIII. Aßiduum mortis meditationem veram Philosophiam esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

478 Cap. XLIII. Veram Philosophiam esse, meditationem mortis, non assensit, sed respondit: Satius est hoc pacto mori, quam deserere pietatem. Ad hac consequentur multi plausus ab his, qui audierint, cum his stupentibus, Deumq; glorificantibus. Hoc quot statuis erit tibi honorabilius? quot imaginibus magnificentius? quanto honore insignius? omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem predicabunt, omnes te coronam dignum judicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum amulabuntur, imitabunturq; fortitudinem, & si quis alius tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris auctor. Neque tantum consequentur laudes recte factorum, verum etiam celerrima morbi leuatio, quum ipsa tua præclara voluntate conciliante tibi DEVM ad maiorem benevolentiam, tuis Sanctis omnibus gratulantibus, tum promptitudini atq; ex intimo corde pro te preces fundentibus. Quod si hic talia sunt præmia fortitudinis huius, cogita quantas illic recipies coronas, cum Angelis omnibus presentibus, omnibus Archangelis, CHRISTVS adueniens prehensa manu tua in medium illud theatrum te produxerit, cunctisq; audientibus dixerit: Hic homo, cum aliquando febre correptus esset, multis exhortantibus, ut à morbo liberaretur, propter Nomen meum, ac reuerentiam, quam habet erga me, ne quid offenderet meam bonitatem, omnes, qui pollicebantur ipsi, damnatarum artium præsidio, sanitatem, repulit cumq; ignominia rejecit, ac præoptavit potius emori, quam meam deserere amicitiam. Hactenus ille. Nos ad mortem transeamus, quæ, ut peccatoribus ex merito est pessima, ita Sanctis omnino contingit pretiosa.

Psal. 33. 22.
Psal. 115. 35.

C A P V T XLIII.

Afiduam mortis meditationem veram Philosophiam esse.

I,



Vanta Numinis æquitate, mortis sententiam acceperit, atque etiam executionem expectet homo, tam ex natura illius, quam ex culpa, à nobis demonstratum est, cum de causis morborum ageremus. Iacta est alea. Deliquimus, moriendum est. *Statutum est hominibus semel mori. Omnes una manet nox.*

Hebr. 9. 27.

Horat. 1.
e arm. 28.
Lucan. lib. 9.

Et calcanda semel via lethi.

Nullum sana caput Proserpina fugit. Et, ut alius Poëta ait: pauide fortisq;

fortiq; cadendum est. Se ipsum accusat, qui naturam accusat suam. Naturæ hoc est opus. Qua de causa Socrates animaduertens amicos, qui eum in carcerem sequebantur, lugere: *Quid hoc est inquiebat, nonnè jam dudum sciebatis, me, ex quo genitus eram, ab ipsa natura morti fuisse damnatum?* Anaxagoras quoque, vt refert Laërtius; ab Atheniensibus absens morti addictus, id nuntianti, *Iam olim, aiebat, istam sententiam tulit natura aequè in illos, atq; in me.* Ad naturam, ni peccasset primus homo, à morte diuino priuilegio eximendam, postea accessit ira Dei, qua statutum est hominibus semel mori. Manet diuinæ justitiæ decretum. Meruimus pœnam, queri non possumus; superest, vt illam in medicinam conuertamus. Quod fiet, si & illius certitudinem, & loci, temporis, ac modi incertitudinem assiduè nobis antè oculos ponamus; nec obliuiscamur, quò mortales hæc *ultima linea rerum humanarum* ducat. Neque enim sine causa legimus illud Chilonis, apud Aufonium: *Vine memor mortis, uti memor sis & salutis.*

Xenoph. in apol.

Laërt. lib. 1.

Horat. 1. ep. 16.

Hæc omnium sapientum est sententia; immò, si Platoni credimus, ipsa *Philosophia, mortis est meditatio.* At, Plutarcho teste, *sola Philosophia medetur animi motibus, atque agitudinibus.* Quare huic Philosophiæ operam dederunt omnes sapientes. *Platonis sententia est,* ait S. Hieronymus, *omnem sapientium vitam meditationem esse mortis.* *Laudant hoc Philosophi, & in calum vsque ferunt.* Non dixit, præcipuam vitæ partem, sed prorsus omnem sapientium vitam, quanta, quanta est, esse mortis contemplationem. Phædonem Platonicum consulat, qui pluribus vult scire, quid in hac re senserit Plato vir sapientissimus, & eruditissimus temporum suorum, qui, teste D. Augustino, ita locutus est, vt quæcumque diceret, magni fierent. Ne autem Platonis dumtaxat, & Academicorum hunc fuisse sensum putemus, fuit idem sensus etiam Stoicorum. Senecæ verba sunt: *Egregia res est, mortem condiscere. Supernacaneum forsitan putas, id discere, quo semel utendum est? Hoc est ipsum, quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus. Qui mori didicit, seruire didicit.* Et alio loco: *Nihil aequè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis aui, & huius*

II.

Plutarch. in opusc. de educand. liberis.

S. Hieron. ep. 3. ad Heliodor. in epitaphio Nepotiani.

S. Augustin. lib. 3. contr. Academ. cap. 17. Senec. ep. 26.

Idem. ep. 15.

Max. serm.
36.

III.

S. Bern. in
fine speculi
Monachor.
D. Petr.
Chrysol.
ferm. 54.
Rosveid. l. 1.
de vit. PP.
cap. 46. vitæ
Pachomij.

S. Hieron.
ep. 16. in epi-
taphio Mar-
cellæ.

1. Cor. 15.
Amphilochi-
us in vit. S.
Basiliij. c. 2.

Ioan. Mosch.
cap. 156.

Heribert.
Rosveid. l. 7.
de vit. SS. PP.
cap. 44.

huius incerti, *Quidquid facies, respice ad mortem.* Hinc Muso-
nius interrogatus. *Quis optimè extremum diem claudere possit?*
respondit: *Qui semper postremum vita diem sibi instare proposuerit.*

Sentiunt cum Philosophis etiam SS. Patres. Siquidem
S. Bernardi illa est gnome: *Summa est Philosophia meditatio mortis.*
Itaque non Philosophiam tantum, sed *summam Philosophiam* vo-
cat *meditationem mortis.* D. Petrus Chryologus conversionem
peccatoris, *Philosophiam mortis* appellat, ita enim Zachæum allo-
quitur: *Festinans descende, ut expeditius intres Philosophiam mor-
tis.* S. Pachomij, in exhortatione etiam illud monitum fuit: *Ante
omnia præ oculis habeamus ultimum diem, & momenti singulis
aterrorum dolorum supplicia formidemus. Huius enim causæ anima se
consuevit agnoscere, corpusq; proprium ieiunijs, ac vigilijs deprimens,
ipsa in mœrore luctuq; continuo perseverat.* Qua ipsa de causâ Mar-
cellam viduam laudavit S. Hieronymus. Ita enim de ea scri-
psit: *Annis plurimis sic suam transegit ætatem, ut antè se vetulam
cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset; laudans illud Pla-
tonicum, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit: Unde &
noster Apostolus: Quotidie, inquit, morior.* Eusebius Philosophus,
inter disputandum cum D. Basilio, interrogavit: *Quæ est definitio
Philosophiæ, Basili?* Respondit ille: *Prima definitio Philosophiæ, me-
ditatio mortis.* Quam responsionem confirmat etiam senex ille,
de quo Ioan. Moschus hæc habet: *Duo Philosophi venerunt ad se-
nem, & orabant eum, ut eis verbum adificationis diceret. Senex ve-
rò tacebat. Rursum Philosophi dixerunt: Nihil respondes nobis, pa-
ter? Tunc senex dixit eis: Quod studiosi quidem sitis eloquentia, scio;
quod autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quam diu enim loqui
discitis, quasi loqui nescitis? Sit ergo Philosophia vestra opus, semper
meditari mortem, silentioq; & quieti vos assuefacite.* Certè hoc fa-
ciunt, qui verè Philosophantur. Hinc inter duodecim Anacho-
retas, qui inter se congregati, singulos iussere in medium dicere,
quid quisque meditaretur, quintus dixit: *Ego Angelos aspicio a-
scendentes, & descendentes ad vocationem animarum, & semper finem
meum opperior, dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*
Nimirum libenter morti obuiam eunt, qui illam sibi cogitatio-
ne familiarem effecerunt; & cum sapientibus virginibus parati
sunt

sunt ad sponsi aduentum. *Vigilate itaque, ait Dominus, quia nescitis diem, neque horam.* Et hoc quidem facere Sanctos non est inexpectatum. Matth 25. 13.

Magis mirum est, apud profanos eandem Mortis memoriam viguisse. Refert Cuiusdam, Orientis Imperatores, pro regio ornamento, solitos sinistra in manu textile ferre aureum, in quo inclusus aggestusque pulvis continebatur, non alia de causa, quam vt præclaro hoc documento testarentur, habenas Imperij ab eo teneri cum laude, qui mortis recordationem, pulveris gestati aspectu identidem renouaret; eumque dignum esse, qui imperaret, cui pulvis ac cinis esset pro sceptro. Similem barbarorum haudquaquam barbarum morem recenset Ioannes Boderus de Tartaris, apud quos ea ipsa die, qua Princeps suscipit imperij habenas, solenni quoque ritu mortis memoria inducitur; quasi non aliunde, quam ex consideratione mortis, gradus fieri debeat ad supremi fastigium dominatus. Siquidem prius, quam coronetur Imperator, super rudi gausape nigri coloris, circumstantibus proceribus regni, pulla veste indutis, in morem jacentis cadaveris stratus solem jubetur respicere: vel quia mores sceptro & purpura dignos, alio præceptore facilius percipi posse minimè credunt, quam hominum patre; vel certè, quia ad pompam regis magnificentis quemquam, regio licet sanguine clarum, euchi putant nulla ratione posse, nisi præconcepta animo mortis recordatione, quæ quasi ad regale solio manu ducat. Neque aliò respicit stупpa, in consecratione Summi Pontificis, accensa, & momento relucens, rursusque euanescens, qua subitam flammam jacente clamatur: SIC TRANSIT GLORIA MVNDI. Frænum honoris est humilitas, humilitatis mater est memoria mortis. Neque humilitatis tantum, sed etiam poenitentis, & ferè omnium virtutum reliquarum. Nam & castitatem tuetur. In vitis Patrum: *Frater quidam dixit seni: Quid facio, quia occidit me sordida cogitatio? Dicit ei senex: Mulier quando vult ab lactare filium suum, amarum aliquid superungit vberibus suis; & cum venerit infans, ex consuetudine sugere lac, sentiens amaritudinem refugit. Mitte ergo & tu in cogitatione tua amaritudinem. Dicit ei frater: Quæ est amaritudo, quam debeam mittere? Dixit ei senex: Cogitationem*

PPP

mortis

IV.

Ioan. Boder.
lib. 1. dict.
memor. vir,
illustr. 1.

Heribert.
Rosveyd. 15.
de vitis PP.
libel. 5. n. 30.

482 Cap. XLIII. *Veram Philosophiam esse, meditationem mortis, mortis & tormentorum, quæ in saculo futuro peccatoribus preparantur.* Ex huius ergo sententia senis, contra corruptionem carnis, remedium est meditatio corruptionis. Cur enim animam immortalem obijciamus tormentis numquam desituris, propter corpus morte periturum? Nonnè hoc est, ærea, immò lutea, aureis permutare?

V.

Gen. 3. 4.

Hugo de clauistro aniz. lib. 2.

S. Ioan. Damascen. de Barlaam & Iosaphat. c. 3. § 1.
Hoc Tom. 4. cap. 2. §. 2.

Ob hanc igitur tam vtilem mortis memoriam diuinæ bonitatis prouidentia vbique mortis nostræ monumenta collocauit. Quantum enim & Mundus nos decipiens, & diabolus nos seducens, qui initio hac fraude Euam fefellit, eum diceret: *Nequaquam morte moriemini*; & denique caro blandiens laborant, ne ad finem vitæ aspiciamus: ita vicissim Deus, & bonus Angelus, & sapiens intellectus, nobis ingerunt fragilitatis & mortalitatis nostræ recordationem. Neque omni cura ac sollicitudine hostes nostræ salutis satis cauere possunt, vt mortis indicium nullum intelligamus. *Tres sunt nuntij mortis*, ait Hugo: *Casus, Infirmetas, Senectus. Casus dubia, Infirmetas graua, Senectus certa denuntiat. Casus nuntiat mortem latentem; Infirmetas apparentem; Senectus presentem. Ex hac incertitudine mortis, timor; Ex grauitate dolor; Ex certitudine senectutis, non obstinatio, sed humilitas, & afflictio sequi debet.* Abenner rex Indiarum quantum laborauit, ne quis talis nuntius filio suo in oculos veniret; & tamen Angeli custodis solertiam impedire non potuit, quin tales nuntios ad eum perduceret? S. Damascenum audiamus, iam alibi nobis ex parte citatum; qui, postquam narrauit, regi illi Indiarum natum insignem filium, quæ Iosaphat appellârit; cui futura quinquaginta circiter annos Chaldæi, è siderum positura, interq; eos vnus ex horoscopo infantis, etiam Christianum fore, prædixerint, hæc addidit: *Rex autem, vt hæc intellexit, eiusmodi nuntium grauitate ac molesto animo excepit, voluptatemq; suam mæstitia interrumpi sensit. Nihilominus tamen in priuata quadam ciuitate, pulcherrimo palatio extructo splendidaq; domo elaborata, illic filium collocauit, iussitq; vt exactis primis ætatis annis nullus ad eum accessus pateret. Atq; Pedagogos ipsi & ministros ætate florentes, eximiaq; forma præditos constituens, hoc ipsis mandauit, vt nihil eorum, quæ in hac vita molesta sunt, per spectum ipsi facerent, non mortem, non se-*
neclm

neclutem, non morbum, non paupertatem, non quidquam aliud molestia, quodq; ipsi oblectationem interpellare posset: verum omnia jucunda, & cum suavi fructu conjuncta proponerent, ut in his ipsius animus cum voluptate ac delicijs versans, nihil omnino rerum futurarum cogitatione complecti posset, ac ne verbo quidem tenus de Christi religione, ipsiusq; decretis quidquam audiret. Nam hoc pra omnibus rebus ipsi occultare in animo habebat, Astrologi nimirum vaticinium verum. Quod si ministrorum aliquem in morbum incidere contigisset, eum statim illinc eici jubebat: alterumq; nitidum optimeq; valentem ipsi substituebat: ut ne quid omnino salebrofi, atq; acerbi in filij oculos incurreret. Ad hunc modum se rex gerebat, atque hac cogitabat, & agebat. Videns enim non videbat, & audiens non intelligebat. Nam cum hac industriã adhibitã, non effecit rex, ne quis filio leprosus, & cæcus, aut capularis senex occurreret; è cuius miserando aspectu, nempe rugata facie, fractis ac dissolutis tibijs, curvo corpore, capite prorsus cano (qui praterea dentibus carebat, atq; concisum quiddam, & interruptum loquebatur, atque fortasse etiam grollis utebatur) ingeniosus adolescens veniret in cognitionem humanæ mortalitatis: quæ cognitio illi viam ad virtutem & cælum aperuit.

Itaque quotiescumque senem, quotiescumque debilem, claudum, cæcum, leprosum, rugosum, scabiosum, vel quocumque modo infirmum aspiciamus, mortis esse nuntium putemus: quoties casum, vel domi, vel belli, miserabilem audimus accidisse, mortis memoriam in nobis excitari existimemus; cogitemusque, nobis dici: *Mihi heri, & tibi hodie.* Ad hanc cogitationem ducit etiam Philosophus, dum ita scribit: *Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoq; moriendum: tamen cum propè accesserit, tergiuersatur, tremat & plorat. Quid fles, miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur: Eò ibis, quò omnia eunt. Ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantum te populus moriturum sequetur? quantum concomitabitur? Fortior, ut opinor, es, si multi tibi commorentur. Multa millia hominum, hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam varijs generibus emittunt. Tu autem putabas te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? Nullum sine exitu iter est.*

PPP 2

Quin

VI.

Eccli. 38. 23.

Senec. ep. 77.

VII.

Quin etiam nullum iter sine periculo, aut monumento mortis. Vt enim è domo, ita è vita exibis. Vix pedem effers ex vrbe, & patibulum cernis. Quid in patibulo, nisi mortui? Puta igitur, patibulum esse cathedram, è qua tibi suspensiosi, aridi illi, & muti oratores, de morte concionentur, dicantque

Maxim. serm. 36.

non loquendo, sed pendendo, cum Biante, eam mortem hominibus nequaquam formidandam, quæ secundum naturæ leges inuadit mortales; sed illud genus lethi malum esse, *Quod legibus constitutum est*, & improbi delictis, turpiter, & ignominiosè promerentur. Quòd si ulterius progredieris, haud procul à cœmeterio transibis, ibi tot assurgentes tumuli, tot cruces, tot saxa sepulchralia, tot ossa craniaque mortuorum, quid aliud clama-

Eccli. 38. 23.

S. Augustin. lib. de nat. & gratia.

bunt, quàm: *Mihi heri, tibi hodie?* Itaque, si de diuitijs & honoribus, & morum nobilitate te iactas, ait S. Augustinus, de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice te ipsum, quia mortalis terra es, & in terram ibis: Circumspice, qui similibus fulsere splendoribus. Ubi sunt, qui ambierunt currum potestatis? Ubi insuperabiles Imperatores? Ubi sunt, qui conuentus disponebant, & festa? & equorum splendidi nutritores? ubi nunc vestes, & ornamenta peregrina? Ubi seruorum turba? ubi jocus & letitia? Ubi exercituum Ducas? Ubi satrapa, & tyranni? Nonnè omnia puluis & fauilla? Nonnè in paucis versibus eorum vita patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide, qui seruus, & qui dominus; qui diues, qui pauper. Discerne, si potes, victum a rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Vide si est aliquod in eo signum

Tertullian. lib. de anima. c. 57.

jaclantia sue. Memorare utiq; natura, ne extollaris. Tertullianus quoque scribit, Celtas, apud virosum fortium sepulchra obnoctare consueuisse, eaque ratione profectos esse, se percipere germanam rerum abditarum cogitationem, quam nullis ceteroqui laboribus, nullo studio, quantumuis assiduo, percipere potuissent. Perceperunt nimirum, se sicut omnia mortalia, finem

Galen lib. 11. de simp. medic. facul. Alexad. Pellegri in c. 2. S. Matthæi Paradox. 13.

habituos, & post hunc finem alia expectanda. A Galeno memoriæ proditum est, aues nonnullas reperiri nuncupatas sepulchrales; eò quòd sepulchrum in capite ferant. Haud dubitem, ait recens Author, his anibus adumbrari homines sepulchrum gerentes in capite, dum mortem memori versant animo, quo fit, ut

volu

volucrum in morem pennis prapetibus se credant calo, sideribus inferant, supra sordes abjecta mortalitatis volitent expeditissime contemplatrici beneficio Philosophia. Quod innuere voluisse Zoroastrem veteris Theologia auctorem eminentissimum testatur Calvus Rhodiginus lib. 16: lect. antiq. cap. 18. in fine: ait enim: Hoc Zoroastrem significasse arbitror, cum esse alatum animam comminisceretur, ac contractis alis labi in corpus precipitem: rursusq; latius plumantem, ac denuo factam volucrum superna repetere. Si queras, quid sibi velit, denuo plumas induere, respondebit cit. Author, significari, speculari competentem scientiam, & disciplinam Philosophia: cuius institutionibus, à sensibus abducimur longius, & quodammodo ab humilibus nostra mortalitatis auolamus. Id porro fiet, si sepulchrum geramus in capite, hoc est, mortem attentè, & continuo meditemur. Hæc ille.

C A P V T XLIV.

Quanta ubique sit occasio mortis assidue meditanda?

VT autem id agamus, non tantum cum ex domo, vel vrbibus egredimur, aut reos supplicio affectos, in rotas jacentes, vel è furca pendentes intuemur; aut cum ibi præterimus, vbi alij jacent sepulti, mortis memoria nobis renouatur; sed etiam quando per illos campos ambulamus, in quibus aliquando vel prælia commissa sunt, vel quidam duellis, aut latrocinij occubuerunt, vbi sepulti, vbi occisi; seu saxi notati, seu viridi cespite obruti. O quoties pedem terræ imponimus, & nescimus, cuius tumulum calcemus! Fortasse etiam hac ipsa de causa Solon iamjam diem obiturus (obiit autem apud Cyprios atatis suæ anno 80.) sermone suis disertè mandasse fertur, vt torpore in cineres redacto, eosdem suorum ossium cineres, per prouinciam vndique disseminarent. Quia enim vir erat sapientiæ amantissimus, dispicere non potuit, qua ratione posteris meliùs prodesse posset, quàm si & domum mortuus non reportaretur, & foris vbiq; & nusquam sepultus, per cineres suos hinc, & inde dispersos, homines doceret adhuc philosophari. Nihil enim Philosophiâ tam dignum, nihil rectè philosophari cupientibus tam congruum & salutare, quàm viua semper & præ oculis habita mortis recordatio.

I.

Diog. Laërt.
lib. 1. in Solone.